

feriori 1000, debet prouenire numerus initio positus, videlicet 694, si vera fuit illa positio; sin falsa foret, ergo operareris secundum præcepta regulæ, & eliceres veram positionem.

Vides hoc altero theoremate prouenire non alios, quām superiores numeros: vnde certum est ambo theorematata forma quidem differre, sed reuera coincidere, & niti eodem fundamento, quod tamen quo pacto fiat, inuestigare hactenus nunquam potui.

C A P V T XXI.

Quid ex defectu collendum.

IC igitur hoc alterum argumentum habet: quo probatum est Aristotelis authoritate, potiores esse nouas hypotheses, propterea quod per eas motus dupli nomine, & virtutis intentione, & celeritate reditus fiant proportionales *ἀποσημασίαι* Copernicanis, quod in veterum de mundo traditione fieri nullo pacto potuit. Atque hæc quidem huius de motu tractatus intentio sola debebat esse. Verùm non difficile mihi est coniçere; extituros, qui optauerint, ut hanc ultimam opusculi partem omissem. Etenim (dicent) si veram per corpora proportionem cœlorum constituisses: vtique motus illam confirmarent. Veritas enim à seipsa non dissidet. Atqui vides ipse, Keplere, quantum inter se dissideant motus & corpora, hoc est distantia & vtrinque extructæ. Quare nudum hosti latus obijcis, imò te ipsum feris, nec opus alieno iugulere gladio.

His igitur ut respondeam, primū in uerto rationem, & ipso rū, imò omnium appello iudicium & conscientiam; vtrum argumentum putent verisimilius esse, num alterum de corporibus, an hoc de motu. Neque mihi probabile est, quenquam aliter dicturum, quām hanc motuum ad orbes accommodationem admodum concinnam esse, atq; admirabile Dei opificis *χερύγμα*. Proinde si alterutri arguento fides habenda sit, huic præ corporibus, astipulaturos, tanquam rei magis evident: quamuis numeri adhuc aliquantum à Copernicanis discrepent. Quod si obtinui Lectoris confessione, vtar pro confirmatione corporum, & excusatione discordiæ illius, ut quæ multis partibus minores, quām hæc in motu dissonantia. Nam si Lector hic propter concinnitatem inuenti magnum